

Le texte proposé ici est, pour l'essentiel, celui de l'édition de Robertus Keuchenius, publiée à Amsterdam, chez Christianus Petzoldum, en 1706.

Précisons que les différentes éditions de cette oeuvre présentent de très nombreuses et notables variantes.

LIBER MEDICINALIS

PRAECEPTA SALUBERRIMA PRAEFATIO

M_0 v.1 Membrorum series certo deducta tenore
2 ut stet, et assimi|lis medicinae defluat ordo,
3 principio celsa de corporis arce loquamur.
4 Phoebe, salutiferum quod pangimus assere carmen,
5 inventumque tuum prompto comitare favore.
6 Tuque, potens artis, reduces qui tradere vitas
7 nosti et in caelum manes revocare sepultos,
8 qui colis Aegeas, qui Pergama quique Epidaurum,
9 qui quondam placida tectus sub pelle draconis
10 Tarpeias arces atque inclyta templa petisti
11 depellens taetros praesenti numine morbos,
12 huc ades et quicquid cupido mihi saepe roganti
13 firmasti, cunctum teneris expone papyris.

CAPITI MEDENDO

M_1 v.1 Balsama si geminis instillans auribus addas,
2 tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.
3 Vel quae septenis censentur gramina nodis
4 utiliter nectes vel corno ex arbore sertum.
5 Puleiumve potens una super aure locabis,
6 aut illud mixto recoquens clementer aceto,
7 cauta nare trahes ; seu visco lintea nexo
8 induces fronti, seu tritae gramina mentae.
9 Spongia cum tepidis adnexa liquoribus imbris
10 profuit aut hedera ex oleo colata vetusto ;

11 profuit et cocleis frontem tractare minutis.
 12 Si nocuit cerebro violentia solis aperto,
 13 saepe chelidonia ex acido perducta liquore
 14 sanavit ; prosunt et amica papavera somno,
 15 si prius in lento madefacta terantur olivo.

HEMICRANIO MEDENDO

M_2 v.1 Portio si capitis morbo temptatur acuto,
 2 alia diversam lana contacta per aurem
 3 inducta prosunt et eodem balsama pacto ;
 4 alia vel ternis piperis terna addita granis
 5 trita linis : certam dabit haec tibi cura salutem.

PORRIGINI DEPELLENDAE

M_3 v.1 Est insensibilis morbus, sed noxia forma,
 2 cum caput immensa pexum porrigine ninguit,
 3 copia farris uti frendentibus edita saxis.
 4 Hanc poterit malvae radix decocta levare ;
 5 aut tu feniculum nitrumque et sulphura viva
 6 contere, deinde caput permixtis abluere cunctis ;
 7 furfuribusve novis durum miscebis acetum,
 8 ut varios crines tali des unguine puros ;
 9 prodest et tarda demptus testudine sanguis
 10 et prodest cedro demissus ab arbore sucus.
 11 Desinit interea glomerari farrea nubis
 12 cessabitque gravis crebrae porriginis imber.

CAPILLO TINGUENDO

M_4 v.1 Quos pudet aetatis longae, quos sancta senectus
 2 offendit, cupiunt properos si abscondere canos
 3 et nigrum crinem fuco simulare doloso,
 4 his prodest acri contrita cupressus aceto
 5 vel frons lentisci vel tristia poma sabuci ;
 6 lumbrici quoque terrestres miscentur olivo
 7 et juvenem praestant redivivo flore capillum.
 8 Praeterea niveum poterit depellere vultum
 9 resina ex facili cera viscoque coacta.
 10 Ad rutilam speciem nigros flavescere crines
 11 unguento cineris praedixit Tullius auctor.
 12 Si praegnans artus captivi soricis edit,
 13 dicuntur fetus nigrantia lumina fingi.

PTHIRIASI ARCENDA

M_5 v.1 Noxia corporibus quaedam de corpore nostro
 2 progenuit natura volens abrumpere somnos,
 3 sensibus et monitis vigiles intendere curas.
 4 Sed quis non paveat Pherecydis fata tragoedi,
 5 qui nimio sudore fluens animalia taetra
 6 eduxit, turpi miserum quae morte tulerunt.
 7 Sylla quoque infelix tali languore peresus

8 corruit et foedo se vidit ab agmine vinci.
 9 Saepius ergo decet mordax haurire sinapi,
 10 vel nitro ac sale permixtis acidoque liquore
 11 laxatis, ut sint simul alia, tangere corpus,
 12 aut lacrimis hederæ aut suco perducere cedri,
 13 quin etiam furfur mixto medicatur aceto.
 14 Unda maris lendes capiti deducet iniquas
 15 et quicquid crebri defendit silva capilli.

PRURIGINI, PAPULIS ET SCABIE ARCENDIS

M_6 v.1 Inlotus sudor vel copia nobilis escae
 2 saepe gravi scabie correptis asperat artus.
 3 Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis,
 4 quod facit ex asino saccatus corporis umor ;
 5 nec pudeat tractare fumum, quod bucula fudit ;
 6 stercoris ex porco cinerem confundito lymphis,
 7 sic pavidum corpus dextra parcente foveto ;
 8 proderit ex oleo pulvis, quem congerit alte
 9 dulcibus ex latebris patiens formica laborum :
 10 convenit hinc tepido lita tradere corpora soli.
 11 Ferventes papulas papiro curato liquenti,
 12 aut acido Baccho miscebis farra lupini
 13 atque hinc in calido percurres membra lavacro.
 14 Pruritus autem salsos levat umor aceti
 15 sive maris rabidi sudor cocleæque minutæ,
 16 quarum contactu perimetur acerba libido.

PHRENESI ET CAPITI PURGANDO

M_7 v.1 Ex vitio cerebri phrenesis furiosa movetur
 2 amissasque refert frendens amentia vires,
 3 sive calens febris jactatos exedit artus
 4 sive meri gustus seu frigoris efficit aura.
 5 Convenit calidis pecudum pulmonibus apte
 6 tempora languentis medica redimire corona.
 7 Inlotis etiam lanis suffire memento
 8 cerritum ; saepe horrendi medicantur odores.
 9 Non semper praesens dolor est sanabilis : ergo
 10 cura magis prodest venturis obvia morbis
 11 atque ideo sanos etiam curarier est par.
 12 Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri,
 13 unguitur et sucis, dederit quos parva sabucus,
 14 expressusque hederæ mandatur naribus umor
 15 aut mixtum rutæ cerebro instillatur acetum.

DE FLUORE CAPILLORUM ET MACULIS CAPITIS TOLLENDIS

M_8 v.1 Defluit expulsus morbo latitante capillus,
 2 si raro lavitur ; seu vis epota veneni
 3 seu salamandra potens nullisque obnoxia flammis
 4 eximium capitis tactu dejecit honorem.
 5 Nonnumquam variant maculae parvisque parumper
 6 orbibus aspersum ducit nova vulnera tempus.
 7 Vipereae pellis cinerem his addito rebus

8 roboreasve pilas ursino jungito sevo
9 vel testudineo mala permulceto cruore.

HUMORIBUS ET PERFRICTIONIBUS MEDANDIS

M_9 v.1 Saepe ita pervadit vis frigoris ac tenet artus,
2 ut vix quaesito medicamine pulsa recedat.
3 Si ranam ex oleo decoxeris, abjice carnem,
4 membra fove. Parili sanat ratione rigorem
5 urticae semen perceptaque frigora vincit.
6 Et cervina potest mulcere medulla rigorem.
7 Decoctum raphani semen cum melle vorabis,
8 seu fel ursinum tepefacta dilue lympa :
9 proderit hoc potu ; seu cassis ostrea testis
10 usta dabit cinerem, qui pro sale sumptus in escis
11 decutiet gelidum calefacto vertice virus.
12 Nonnullus liquidum sugit mulsumque sinapi
13 atque palato agitatur pariter retinensque vomensque.
14 Alia nonnulli mandunt oleive liquore
15 perfundunt calido cerebrum nasique latebras.
16 Quidam lactucae credunt prodesse saporibus.
17 Curandi modus hic et suavis et utilis idem est.

ELEPHANTIASI PROPELLENDAE

M_10 v.1 Est elephas morbus tristi quoque nomine dirus,
2 non solum turpans infandis ora papillis,
3 sed cita praecipitans funesto fata veneno.
4 Huic erit adversus cedri de cortice sucus
5 mustelaeque cinis vel fusus sanguis ab illa.
6 Nonnulli dixere serum prodesse bibendo.
7 Mentastri folium potu appositumque salubre est,
8 nec frustra bulbos et sulphura jungit aceto
9 qui cupit horribiles ad pristina reddere vultus.
10 Praeterea nitrum debes cum melle jugatum
11 spargere lacte bovis, varias sic unguere frontes.
12 Cerussam et chartam, quam gens Aegyptia mittit,
13 tunde simul misceque oleo, quod flore rosarum
14 conditum est : line sic faciem, sic redde salutem.

CUTIS ET FACIEI VITIIS PROPELLENDIS

M_11 v.1 Invida si maculat faciem lentigo decoram
2 nec prodesse valent naturae dona benignae,
3 erucam atque acidum laticem simul inline malis.
4 Proderit et bulbus mellis dulcedine victus,
5 crudave dulcacido miscebis rapa liquori,
6 sanguine vel leporis morbus delebitur oris.
7 Frons salicis cum flore suo contrita medetur.
8 Sepiolae cineres ex ossibus omnia tollunt.
9 Cygneos adipos hilaro misceto Lyaeo :
10 omne malum propere maculoso ex ore fugabis.
11 Horrebit si livor atrox aut nigra cicatrix,
12 attrito sapone genas purgare memento.
13 Rugarum sulcos lentisci masthice tendes.

14 Si vero vitium est quod ducit ad impete nomen,
 15 hoc matutina poteris cohibere saliva
 16 seu folio platani, quod mansum mane vorabis.
 17 Foeda fluunt curvi quae purgamenta cameli
 18 urentur cineremque dabunt, jungentur aceto
 19 mascula thura simul, divinaque cura valebit.

AURIUM VITIIS SUCCURENDIS

M_12 v.1 Cum saevus teneras dolor alte sauciat aures,
 2 fraxinea in flammis fundit quem talea sucum
 3 instilles sive obscaenos ex virgine rores
 4 aut sucum, ex folio dederit quem populus alba.
 5 Saepe chelidoniae rapidum sociatur acetum
 6 adjunctoque nitro procedit cura salubris.
 7 Mentastris liquor expressus conducere fertur.
 8 Infectum violis oleum bene consulit auri.
 9 Annosa rubros si legeris arbore vermes,
 10 ex oleo tere : sic tepidos infunde dolenti.
 11 Si vero obtusa sensus remoretur in aure,
 12 lumbricos terrae seivumque ex ansere rauco
 13 excoque : sic veterem poteris depellere morbum.
 14 Felque bovis surdis etiam prodesse loquuntur,
 15 si jungas olidae grave quod minxere capellae.
 16 Si vero incautas animal penetraverit aures,
 17 proderit admixto pavidi fel muris aceto.
 18 At si lympham nocens pervaserit, anseris aptus
 19 immittetur adeps caeparum non sine succo,
 20 qui gravis est oculis, sensum tamen auribus auget.
 21 Vis et Phoebigenae divinam discere curam ?
 22 Sitque vel annosis confecta doloribus auris
 23 plectitur, hoc uno medicamine cuncta vigebit.
 24 Alia tu septem numero septemque lupinos
 25 cervinam dabis in testam, tum Delphica frondis
 26 addatur, mixto totum fervereat aceto :
 27 doctus eris tepidos illinc immittere rores.

OCULORUM DOLORI MITIGANDO

M_13 v.1 Summa boni est alacres homini contingere visus,
 2 quos quasi custodes defensoresque pericli
 3 prospiciens summa natura locavit in arce,
 4 sic tamen ut nullos paterentur desuper ictus
 5 atque supercilio pavidi tegerentur opaco.
 6 Sed dolor immeritum lumen si forte lacessit,
 7 lana madens oleo noctu connectitur apte
 8 viventisve nepae lumen gestatur amicum.
 9 Ex folio caulibus cineres confractaque thura
 10 et laticem Bacchi fetae cum lacte capellae
 11 desuper induces atque una nocte probabis.
 12 Hyblaei mellis sucus cum felle caprino
 13 subveniunt oculis dira caligine pressis.
 14 Vettonicae mansus siccabit lumina sucus.
 15 Si tenebras oculis obducit pigra senectus,
 16 expressae marathro guttae cum melle liquenti
 17 detergere malum poterunt, vel vulturis atri

18 fella chelidoniae fuerint quae gramine mixta.
 19 Haec etiam annosis poterunt succurrere morbis.
 20 Fel quoque de gallo mollitum simplice lymphā
 21 exacuet puros dempta caligine visus.
 22 Sive columbarum fimus admiscetur aceto,
 23 seu fel perdicis parili cum pondere mellis.
 24 Vina chelidoniae simili ratione jugantur
 25 efficiuntque suo praeclaros unguine visus,
 26 aspera quin etiam mulcent et rupta reducunt.
 27 Si genus est morbi, miserum quod lumen adurit,
 28 hic calor infuso mitescit lacte canino.
 29 Anguibus ereptos adipēs aerugine misce :
 30 hi poterunt ruptas oculorum jungere partes.
 31 Si vero horrendum ducent glaucomata plumbum,
 32 spiritus alterius prodest, qui grana cumini
 33 pallentis mandens visus exhalat in ipsos.
 34 Si tumor insolitus typho se tolāt inani,
 35 turgentēs oculos vili circumline caeno.

DENTIUM VITIO ET ORIS FOETORI MEDENDO

M_14 v.1 Haud facile est acrem dentis tolerare dolorem,
 2 quo magis est aequum medicam pernoscere curam.
 3 Cum Baccho violas incoxeris, ore teneto.
 4 Mansus item prodest sucis oleaster acerbis :
 5 hinc oscedo fugit, linguae quoque vulnera cedunt.
 6 Cum vino piper et nitro tepidum inde dolenti.
 7 Saepe chelidoniae suco vel lacte capellae
 8 sanescunt dentes aut tauri felle juvantur.
 9 Aut acidi latices clauso volvuntur in ore.
 10 Manditur apta rubus gingivis et bona labris.
 11 Lentiscus myrtusque emendant oris odorem.
 12 Quod vero assumpsit nomen de dente fricando,
 13 cervino ex cornu cinis est, aut ungula porcae
 14 torrida, vel cinis ex ovis, sed non sine vino,
 15 muricis aut tosti vel bulbi exstincta favilla.
 16 Ambitiosa putas ? Sunt ista salubria cunctis.
 17 Exesos autem dentes si forte quereris,
 18 ure fimum muris, patulis et hiatibus adde ;
 19 vel cinerem dentis cervini exstinguere aceto.
 20 Convenit atque cavis immittere partibus apte.
 21 Prodest et pulvis lumbrici corpore tosto.
 22 Ora ambusta cibo sanabis lacte canino.
 23 Saepe etiam gelida gingivas collue lymphā,
 24 dentibus ut firmum possis servare vigorem.
 25 Si vero infandum proserpit ad intima vulnus,
 26 permisceto salem parili cum pondere thuris :
 27 hinc tractato locum, miram experiere medelam.
 28 Aut tu sume pilam, quae caudis haeret ovinis :
 29 haec siccata dabit molles et fracta farinas,
 30 hujus et attritu taetrum mulcebitur ulcus.

UVAE, FAUCIBUS, COLLO ET QUAE MOLLIENDA SUNT, MEDENDIS

M_15 v.1 Aegrescunt tenerae fauces, cum frigoris atri
 2 vis subiit vel cum ventis agitabilis aer
 3 vertitur atque ipsas flatu gravis inficit undas

4 vel ravidus clamor, fracto cum forte sonore
 5 planum radit iter. Sic est Hortensius olim
 6 absumptus ; causis etenim confectus agendis
 7 obticuit cum vox domino vivente periret
 8 et nondum exstincti moreretur lingua disertum.
 9 Ergo omni studio quaeres inhibere dolorem.
 10 Simplicibus lymphis confunditur aerium mel,
 11 additur excussus nivea similagine furfur :
 12 decocta haec clauso simul exercentur in ore.
 13 Praeterea fauces extrinsecus unguere prodest
 14 ursino et tauri sevo cerisque remissis,
 15 omnia quae geminis aequabis lancibus ante.
 16 Disce etiam miram ex humili medicamine curam.
 17 Actiaco melli junges agreste papaver
 18 decoctumque simul mandes mansumque vorabis.
 19 Crinitae porri radices quinque coquantur,
 20 hinc aqua non fervens volvatur fauce sonora
 21 nec tamen in stomachum descendat gutta patentem.
 22 Si vero afflictam languor dejecerit uvam,
 23 tunc horas aliquot pronus recubare memento ;
 24 aut illam pulvis tosti relevabit anethi
 25 aut cinis ex coclea vel torrida brassica flammis.
 26 Verum angina sibi mixtum sale poscit acetum,
 27 quod refert clauso versatum agitare palato.

M_16

DE RIGORE CERVICIS

v.1 At si cervices durataque colla rigeant,
 2 (mira loquar) geminus mulcebitur unguine poples,
 3 hinc longum pariter nervos medicina sequetur.
 4 Anseris aut pingui torpentia colla fovetis.
 5 Illinitur valido multum lens cocta in aceto
 6 aut caprae fimus ex bulbo, aut cervina medulla :
 7 hoc etiam immotos flectes medicamine nervos.
 8 Quos autem vocitant tolles, attingere dextra
 9 debebis, qua gryllus erit pressante peremptus.

TUSSI ET CHOLERIBUS MEDENDIS

M_17

v.1 Noxia si cholerae penitus saevire venena
 2 perspicies, cocta lactucae fronde levabis,
 3 proderit et caules assumere saepe madentes.
 4 Interdum fauces tussi quatiuntur atroci :
 5 alia tum sumis decocta et melle peruncta,
 6 semina vel raphani permixto dulcia melle.
 7 Aut si fraxinea semen de fronde revellis,
 8 interiora vora, vetitus contingere dente.
 9 Ovum melle teres domitum ferventibus undis
 10 marrubiumve potens : haec faucibus optima sumes
 11 frenabisque gravem facili medicamine tussim.

DIGESTIONI ET STOMACHO MEDENDO

M_18

v.1 Qui stomachum regem totius corporis esse
 2 contendunt, vera niti ratione videntur.
 3 Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,

4 at contra ejusdem franguntur cuncta dolore.
 5 Quin etiam, nisi cura juvat, vitiare cerebrum
 6 fertur et integros illinc avertere sensus.
 7 Lactucae semen nigrae, quod lignea pila
 8 triverit, admixto jejunos sumito melle,
 9 sed coclear trinum gustu tibi sufficit uno.
 10 Aut tritum semen raphani mulsumque juvabit ;
 11 sive duae partes absinthii ac tertia rutae
 12 decoctis potantur aquis siliquaeque madentes,
 13 semina vel marathri fetae cum lacte capellae,
 14 puleium quoque decoctum curabit amice.
 15 Et potu et fotu stomacho conducit acetum.
 16 Seu cocleas undis calefactas ac prope victas
 17 suppositis torre prunis vinoque garoque
 18 perfusas cape : sed prodest magis esse marinas.
 19 At male digestis si crapula saeviet escis,
 20 ex pipere et calida florem de rore marino
 21 ebibe ; seu salibus piper adde et tenue cuminum,
 22 quae coctis tinges epulis ac rapta vorabis.
 23 Aut cubitum pergens sucum cape tristis aceti.
 24 Ventriculus mergi tactus sal tritus et ustus
 25 tosto pane super, piperis quoque pulvere multo
 26 miscetur : capies divinum munus in istis.
 27 Proderit hoc stomacho, victas et concoquet escas :
 28 grana peregrini piperis diffundito quinque,
 29 Niliaco melli quae mane inserta capesses.

FELLI, VOMITUI ET PTHISI ARCENDIS

M_19 v.1 Lutea si crescent et cunctis noxia fella,
 2 alia parva novem, piperis tot permole grana,
 3 quae cyatho diluta gari mandesque bibesque :
 4 haec iterum septena capis, post denique quina.
 5 Praeterea caules, si frondet parva, sabucus
 6 decoctos sale permisces ac spargis olivo :
 7 tum capis ac tali auxilio fella horrida purgas.
 8 Prosunt et pelagi latices, quos pondere justo
 9 dulcibus associas lymphis mellique liquenti.
 10 Et niveus prodest ex ubere sucus asellae,
 11 si tepido vinum infundas ac mella piperque.
 12 At vomitum radix narcissi pota movebit.
 13 Si vero pthisis annoso sedet improba morbo,
 14 intritas vino cocleas hausisse juvabit.
 15 Proderit et veteris sevi pila sumpta suilli.
 16 Carne asinae sevoque caprae medicina salubris.

MAMMIS SANANDIS VEL STRINGENDIS

M_20 v.1 Ubera fecundo valde lactentia suco
 2 saepe sibi noxae nimium manando fuerunt :
 3 faece igitur valida saevi reprimuntur aceti.
 4 Post partum tumidas injuste adsurgere mammas
 5 interdum aspicias : harum mala commemoratur
 6 murinus fimus ex pluvio sedare liquore.
 7 Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus,
 8 lumbricis terrae turgentes ungue corymbos.

9 Si castigatas studium est praestare papillas,
 10 ex hedera sertis ambas redimire memento,
 11 protinus et raptas fumis mandare coronas ;
 12 anseris aut sevum pariter cum lacte tepenti
 13 aut ovum illinito, tulerit quod garrula perdix.
 14 Praeterea pluvio decocta papavera rore
 15 haerescunt, multis post dissolvenda diebus.
 16 Vis et Phoebigenae caelestia sumere dona,
 17 ubera cum taetris laniata doloribus urgent ?
 18 Navis ramentum et quae nomine prasion herba est
 19 et quae vulgari sermone 'insana' vocatur
 20 (Graecus hyoscyamon propria scito dicere lingua)
 21 nec non et calami radix lapathique legumen
 22 mixta dabunt miras (experto crede) medelas.

REJECTIONI CIBI AUT SANGUINIS RESTRINGENDAE

M_21 v.1 Si stomachus nondum concoctas expuit escas
 2 et magis atque magis vitium revomendo valescit,
 3 alia caedemus crebrumque trahemus odorem.
 4 Sin etiam rutilus referetur pectore sanguis,
 5 sorbitium mentae, raphanus vel cocta juvabit.
 6 Saepe lapis teritur (specularem nomine dicunt)
 7 et mixtis hauritur aquis sistitque cruorem.
 8 Uritur interdum raptus de subere cortex,
 9 et cinis ex calido prodest epota Lyaeo,
 10 ovorum cinis aut cochlearum aut denique mellis
 11 aut mansus salicum fructus prodesse putatur ;
 12 aut platani pilulas acri infundemus aceto,
 13 nullus erit sanguis, quem non cibus iste moretur.

JECORIS ET LATERIS VITIIS MEDENDIS

M_22 v.1 Si molles jecoris fibras dolor hauriet acer,
 2 protinus ex mulsa potanda elelisphacus herba est,
 3 sumitur et semen, quod fraxinus alta profudit,
 4 vulturis atque jecur, vel jus perdicis apricae.
 5 Praeterea simili drachma pix dura piperque
 6 franguntur ; sic in mollito pulvere juncta
 7 egelidis miscentur aquis recreantque bibentem.
 8 Absinthi quoque decocti potabitur humor.
 9 Si latus immeritum morbo temptatur acuto,
 10 accensum tingues lapidem stridentibus undis,
 11 hinc bibis ; aut aceris radicem tundis et una
 12 cum vino capis : hoc praesens medicamen habetur.
 13 Quid referam multis composta Philonia rebus ?
 14 Quid loquar antidotum variis ? Quis ista requirat ?
 15 At nos pauperibus praecepta dicamus amica.
 16 Nec non et jecoris quaeretur fibra lupini
 17 jungenturque simul costum foliumque piperque,
 18 quae diluta mero dantur potanda Lyaeo.
 19 Est et vis morbi, quod telum commemoratur,
 20 cum subito dolor insanus furit incitus ictu.
 21 Persicus huic potum e nucleo dabit interiore,
 22 quae mihi cura satis casu monstrante probata est.

SPLENI CURANDO

M_23 v.1 Quando lien tumido circumligat ilia vinclo
 2 et plenum splenis demonstrant membra rigorem,
 3 mollibus ex hederæ tornantur pocula lignis,
 4 hinc trahet adsuetos aeger quoscumque liquores.
 5 Aut viridis coctorum holerum potabitur unda.
 6 Proderit exsucto fluvialis hirudo cruore,
 7 sive myrica potens seu ros cum pane marinus,
 8 aut hederæ sucus potu apposituque juvabit.
 9 Nec non intactam ferro quam videris alnum,
 10 huic liber eripitur ferro sine decoquiturque,
 11 donec victarum pars tertia subsit aquarum :
 12 hinc medico potu pulsus dolor omnis abibit.
 13 Nonnulli memorant consumi posse lienem,
 14 ervum si semper jejuno sumpserit ore.
 15 Arida ficus item fervente domatur aceto
 16 et trita illinitur, vel splen apponitur haedi.
 17 Marrubium in vino potum prodesse loquuntur.
 18 Praeterea piper ac nepetae cum flore et anethum
 19 capparis atque apium buglossaque jungitur una :
 20 horum decoctos latices potare salubre est.
 21 Puleium, abrotonum nitida cum mastice coctum
 22 ac thymbræ speciem, quam commemorant cephaloten,
 23 praedixit spleni deus Idae posse mederi.
 24 Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lienem.
 25 Splen tumidus nocet et risum tamen addit ineptum,
 26 ut mihi Sardois videatur proximus herbis,
 27 irrita quae miseris permiscent gaudia fatis.
 28 Dicitur exsectus faciles auferre cachinnos
 29 perpetuoque aevo frontem praestare severam.

PRAECORDIIS SANANDIS

M_24 v.1 Languida si duro turgent praecordia morbo,
 2 miscetur mulsae farris sextarius unus
 3 nec non et lini tunsum siliquaeque legumen :
 4 haec decocta simul nondumque tepentia nectes.
 5 Aut quae poma Cydon Cretaeis misit ab oris
 6 cocta lines, durum ut possis mollire tumorem.
 7 Ocima praeterea bulbive linuntur amari.
 8 Proderit et lymphis corpus mersare marinis.
 9 Quin etiam catulum lactantem adponere membrum
 10 convenit : omne malum transcurrere fertur in illum,
 11 cui tamen extincto munus debetur humandi.
 12 Humanos quoque contactus mala tanta sequuntur
 13 et junctus vitium ducit de conjuge conjux.
 14 Quod superest thridaci junges ramenta carinae
 15 quodque decem ex rebus confit simul atque vocatur,
 16 mastichis addentur fractae jam mollia farra :
 17 talibus auxiliis praecordia fota resident.

LUMBIS ET RENIBUS SANANDIS

M_25 v.1 Cum saevit penitis haerens injuria lumbis,

2 igne lapis candens datur exultantibus undis :
 3 hoc poteris potu tristem superare dolorem.
 4 Aut pice cum melli nitrum sulphurque et acetum
 5 succida lana rapit contacta calentibus isdem :
 6 proderit hanc aegris crebro perducere membris.
 7 Aut caput asparagi cum vino sume vetusto
 8 seu mavis adpone ; modus conducit uterque.
 9 Aut adipe inmixtum lumbis inductio sulphur.
 10 Saepe chelidonium cum suco Palladis addes
 11 farraque quae tremulis prosunt sudantia flammis.
 12 Fertur amygdalinae sucus nucis esse bibendus :
 13 pinsitur hac tepidi sorbebitur addita lymphis.
 14 Aut tres ex vino cocleas ferverescere coges
 15 cumque suis domibus franges ; piperis quoque grana
 16 ter quinque adjicias potuque jvaberis illo.
 17 Furfur item parca fuerit cum fervidus unda,
 18 post oleo madidus saccis immittitur aptis,
 19 quos vix passuris urentes addito membris.
 20 Prodest cervinae vehemens natura medullae.
 21 Nec nocuit ciceris cocti potasse liquorem ;
 22 aut mixtam teneris malvam contundito porris,
 23 contritumque simul cum mastiche confer anethum
 24 quodque decem rebus componi ex nomine clarum est.
 25 His continge locum. Deus haec mihi certa probavit.

VENTRIS DOLORI MITIGANDO

M_26 v.1 Si dolor insanus tota desaevit in alvo,
 2 heminis tribus in lymphis tu decoque tritum
 3 in vino prius hyssopum, validam quoque rutam
 4 atque apium, donec pars duplex desit aquarum :
 5 potus erit medicus non detractante palato.
 6 Praeterea nivei sterilis testa uritur ovi,
 7 quae postquam in taetram fuerit conversa farinam,
 8 ex calidis potatur aquis et pota medetur.
 9 Nec non jungenda est utero nova virga myricae :
 10 illaesa haec ferro terraque intacta teratur.
 11 Aut medio ventris prodest adspergere terram,
 12 quam signaverunt vestigia pressa rotarum.
 13 Proderit et pulvis facili sub cardine raptus.
 14 Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum
 15 conveniet, quod jam nobis documenta probarunt.
 16 Mentha quoque hoc pacto medicos dabit hausta sapes.
 17 Coeliacos autem recreabis pane salubri,
 18 quem madido farre efficies ac mollibus ovis,
 19 quorum testa fero prius evanescere aceto,
 20 refert, et teretes bulbos mollire terendo
 21 cumque his Lenaei durum potare fluentum.

HYDROPISI DEPELLENDAE

M_27 v.1 Corrupti jecoris vitio vel splenis acerbus
 2 crescit hydrops aut cum siccatae febre medullae
 3 atque avidae fauces gelidum traxere liquorem.
 4 Tum lymphis interioribus vitio gliscente tumescit,
 5 secernens miseram proprio de viscere pellem.

6 Conveniet tenerae radix decocta sabuci
 7 in geminis calidi cyathis potanda Lyaei.
 8 Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.
 9 Nec non appposito curantur dropace membra,
 10 qui subito raptos ventos succosque revellit.
 11 Nec non in tepidis convolves corpus harenis.
 12 Apposituque leves nepetae gustuque juvabunt.
 13 Saepe et scillino pelluntur noxia Baccho
 14 helleboro quoque purgatur lymphaticus error.
 15 Aut hujus vice quod fert semen lenta genista
 16 miscetur mulsis et cautis ducitur undis.
 17 Est qui praevalidum fricto sale miscet acetum
 18 atque olei suco, refricatque albentia membra
 19 aut calido filicis radicem mollit Iaccho,
 20 qui subito raptos ventos succosque revellit,
 21 unguine quo frangit vires languoris aquosi.

VENTRI MOLLIENDO

M_28 v.1 Saepe cibi specie, vitio vel corporis ipso
 2 potibus aut duris restricta morabitur alvus.
 3 Vincetur talis mora gramine Mercuriali,
 4 cujus aquam cocti minimo cum melle bibemus.
 5 Prunaque conveniunt, quae mittit clara Damascus.
 6 Multos praeterea medici componere sucos
 7 adsuerunt ; pretiosa tamen cum veneris emptum,
 8 falleris frustra que immensa nomismata fundes.
 9 Quin age et in tenui certam cognosce salutem.
 10 Aut igitur tectum lana supponis alumen
 11 aut edis in patinis tenerae decocta sabuci
 12 vel cum lacte caprae salsum mulsumque capesses.
 13 Crede tamen potum meliorem lactis equini :
 14 dicitur hic dulces asinae praevincere sucos.
 15 Silvestris fici lacrimam prodesse loquuntur.
 16 Quodque satis melius verbis dicemus Horati :
 17 Mugilis et viles pellunt obstantia conchae.
 18 Sed cocleas prius est urtica aut furfure pasci,
 19 purior hinc gustus noxa sine moverit alvum.
 20 Saepe thalassomeli adjecto cumulavimus imbri :
 21 haec purgant, parili fuerint si pondere mixta.

SOLUTIONI VENTRIS, ET DYSENTERIAE COMPESCENDAE

M_29 v.1 Tam varii casus mortalia saecla fatigant,
 2 ut sint diversis obnoxia corpora morbis.
 3 Saepe etenim nimio cursu fluit impetus alvi :
 4 frenat commixto cum fervet brassica vino
 5 aut cerasi victum longo jam tempore pomum.
 6 Sucus Aminaei vitis cum pane medetur Iacchi,
 7 vel bene permixtum calida potatur acetum :
 8 vile quidem facili facto, tamen utile opinor.
 9 Si laedunt medica data purgatoria dextra,
 10 adjecto piperis medicatur pulvere calda.
 11 Sin autem longo decurrent intima fluxu
 12 atque immane malum multo jam tempore gliscet,
 13 torridus ex vino cortex potabitur ovi.

14 Ramentum nivei credunt prodesse elephantis.
 15 Arbore Pyramea cortex derepta coquetur
 16 axe sub aethereo, sic nigro mixta Lyaeo
 17 immensum poterit potu retinere fluorem.
 18 Numinis aut jussu cedrini mastiche misces
 19 mollitamque picem et rasum de navibus unguen :
 20 languida quo fidens medicamine membra fovebis.
 21 Proderit et pueris, quos dentis origo fatigat,
 22 castaneas coxisse nuces et sorba vetusta,
 23 atque apium caulesque rubus quos fundit acuta :
 24 potio quae fluidam consumpta morabitur alvum.

LUMBRICIS ET TAENIIS ASPURGANDIS

M_30 v.1 Quid non adversum miseris mortalibus addit
 2 natura, interno cum viscere taenia serpens
 3 et lumbricus edax vivat inimica creanti ?
 4 Quod genus assiduo laniat praecordia morsu.
 5 Saepe etiam scandens oppletis faucibus haeret
 6 obsessasque vias vitae concludit anhelae.
 7 Ergo cinis cornu cervini proderit haustus
 8 vel nepetae tritum ex vino vel lacte capellae ;
 9 nec non et sucus medici potatur aceti.
 10 Prodest praeterea cum Baccho Persica frondis.
 11 Democritus memorat mentae conducere potum.
 12 Sumitur abrotonum nec non et vile melanthum.
 13 Alia per sese sanant aut vis coriandri.
 14 Quin et marrubium decoctum haustumque juvabit.
 15 Puleiumve potens et agreste jugatur anethum :
 16 synthesis haec prodest unda mollita calenti.

COLO SEDANDO

M_31 v.1 Cum colum (invisum morbi genus) intima carpit,
 2 mande galeritam volucrem quam nomine dicunt,
 3 aut pavidi leporis madefacta coagula pota.
 4 Sive apio nepetas tereti cum mastiche junge
 5 nec non et species ambas halantis anethi,
 6 quarum decoctos patiens haurito liquores.

VESSICAE ET CALCULO PURGANDO,
ET URINAE PROVOCANDAE

M_32 v.1 Si cui vessicae tardus cunctabitur humor,
 2 haec mora rumpetur vino pervicta vetusto.
 3 Prodest ex parvis acinos potare sabucis
 4 aut hederiae sucum aut lacrimosi trita sinapi.
 5 Nec non resinas ex Oricia terebintho
 6 in speciem erviliae parvos glomerabis in orbes,
 7 quos ternos tepida mixtos hausisse medella est.
 8 Quondam etiam nimio praeceps urina fluente
 9 irrigat exuvias obscaenoque inficit imbri :
 10 Ergo cinis cornu cervini proderit haustus,
 11 vel nepetae ex vino tritum vel lacte capellae.
 12 Tum leporis cerebrum ex vino potare juvabit.

13 Si dolor internam vessicae concoquet alvum,
 14 subveniet radix frondosae epota cupressi
 15 puleiumve potens domitum ferventibus undis.
 16 Si vero in lapides densus convertitur humor,
 17 qui retinent cursus gemitumque dolore frequentant,
 18 saxifragam seu fontigenam succurrere credunt.
 19 Praeterea semen myrti silvestris Iaccho
 20 atque oleo mixtum bibitur, nec desit acetum,
 21 vinaque sumantur fricto condita cumino ;
 22 sive palumborum capitur fimus acre ferorum
 23 dulcacidis sparsum sucis trituque solutum ;
 24 nec non obscaenus caprae potabitur humor,
 25 obruit hic morbum labefactaque saxa remittit.

CONCEPTIONI ET PARTUI

M_33 v.1 Irrita conjugii sterilis si munera languent
 2 nec subolis spes est multos jam vana per annos,
 3 femineo fiat vitio res necne, silebo,
 4 hoc poterit quartus magni monstrare Lucreti.
 5 Sed natura tamen medicamine victa potenti
 6 saepe dedit fetus studio curante paratos.
 7 Aut igitur leporis consumit femina vulvam
 8 aut, ovis in stabulis fractas cum ruminat herbas,
 9 pendentem spumam molli deducit ab ore
 10 atque illam meminit mixto potare Falerno.
 11 Mercurialis item capitur communiter herba,
 12 si cubitum noctu conjunx festinat uterque.
 13 Atque ubi jam certum spondet praegnatio fetum,
 14 ut facili vigeat servata puerpera partu,
 15 dictamnum bibit, et cocleae manduntur edules.
 16 Aut qui olim menses minus octo moratus in alvo est
 17 inrumpit thalamos et nexus solvit inertes :
 18 pulegii quoque purgati tunc convenit imber,
 19 cujus opem veram casus mihi saepe probarunt.
 20 Quin etiam stercus supponunt vulturis atri,
 21 sentiat ut minime partus quam proximus urget.
 22 Ova etiam rutae et fragili miscentur anetho,
 23 quae diluta simul vino atque exhausta medentur.

PROFLUVIO CUJUSQUE SANGUINIS ET MATRICI SUBVENIENDAE

M_34 v.1 Si modicus pleno manat de corpore sanguis,
 2 subvenit, at nimius cum vita funditur ipsa.
 3 Quapropter multo naris completa cruore
 4 cum fluit, attritus cimex conducit odore.
 5 Lana oleo madefit, sed nondum lauta, rosato :
 6 haec datur in nares vel claudit densius aures.
 7 Contritis prodest cochleis perducere frontem
 8 aut galli cerebro vel sanguine tinge columbae.
 9 Quod nisi supprimitur sanguis, potandus et ipse est.
 10 Praeterea Phariis caput emetire papyris
 11 detrahe quod superest : illo genitalia necte,
 12 femineas illinc prodest vincire mamillas.
 13 Menstruus inmenso si profluit impete sanguis,
 14 sucida lana malos remoratur subdita cursus,

15 mortua quinetiam producit corpora partu.
 16 Sed quaecumque fluit vis inmoderata cruoris,
 17 subereus cortex calidis potatur in undis
 18 ante minutatim studio vincente terendus.
 19 Pulegii calido purgatur femina potu.
 20 Sed si forte cruor clausa cunctabitur alvo,
 21 aut molles nepetae aut rutae quacumque bibentur.
 22 Aut si puniceos fundit vessica liquores,
 23 marrubium ex passo tritum perfunditur undis :
 24 hi poterunt haustus rutilum purgare colorem.
 25 Reliquias partus dictamni detrahit herba.
 26 Quod si feminei properabit sanguinis imber,
 27 est qui frustra molae percussu decutit uno,
 28 quorum aliquod lanis tectum ad praecordia nectit,
 29 haec simul incantans : sisti debere cruorem,
 30 ut lapis ille viae solitos jam destitit orbes.

INTERNECANDIS QUAE OCULOS IMPEDIUNT

M_35 v.1 Mobilis hirsutas horret lascivia saetas
 2 et gaudet raptu nudari flore pilorum.
 3 Sed bona nonnumquam vellendi causa videtur,
 4 corpora cum relevat ratio manifesta salutis.
 5 Namque oculos infesta pilorum tela lacesunt,
 6 quodque illis dederat vallum natura tuendis,
 7 inde inimica seges proprios desaevit in orbes.
 8 Ergo locum crinis vulsi continge cruore
 9 quem dat avis, tremulis simulat quae pellibus alas,
 10 sanguine vel ricini, quem nigro de cane velles.
 11 Praeterea quascumque voles avertere saetas
 12 atque in perpetuum rediviva occludere tela,
 13 corporibus vulsis saniem perducito ranae,
 14 sed quae parva situ est et rauco garrula questu.
 15 Nec non quae stagnis cessantibus haesit hirudo
 16 sumitur et vivens Samia torretur in olla :
 17 haec acidis unguis permixta liquoribus artus
 18 avulsamque vetat rursus procrecere silvam.

OMNIBUS OBSCAENIS MEDENDIS

M_36 v.1 Dicendum et quae sit membris medicina pudendis.
 2 Languidus antiquo purgatur penis Iaccho
 3 ac super illinitur fecundae felle capellae.
 4 Mane novo myrti frondes commandere prodest
 5 cui dolet, atque illas in vulnus despuat ipsum.
 6 Faece etiam vini genitalia lauta levantur,
 7 et tumidos testes Nereia lympa coercet
 8 vel bulbi ex mulso vel cera inmixta cupresso,
 9 aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.
 10 Ramicis inmensum fertur cohibere tumorem
 11 far madidum lympa et feralis fronde cupressi,
 12 unde etiam potu frons haec memoratur amica.
 13 Sin autem existet duratis glandibus inguen,
 14 proderit induci cochleas cum melle minutas.
 15 Obscaenos si pone locos nova vulnera carpent,
 16 horrentum mansa curantur fronde ruborum.

17 At si jam veteri succedit fistula morbo,
 18 mustelae cinere immisso purgabitur ulcus,
 19 sanguine vel ricini, quem bos gestaverit ante.
 20 Herba chelidoniae fertur cum melle mederi
 21 herbaque cum sevo foliis de mille vocata.

ISCHIAE ET ARTICULARI MORBO

M_37 v.1 Saepius occultus victa coxendice morbus
 2 perfurit et gressus diro languore moratur.
 3 Populus alba dabit medicos de cortice potus ;
 4 nec non et tenerae gracili de fronde genestae
 5 arreptos caules acidoque liquore madentes
 6 sumere conveniet, rubiam quoque ducere potu
 7 aut in Aminaeo cocleas haurire Lyaeo.
 8 Si vero articulos tabes inimica per omnes
 9 haeserit, ex ficu betas cum melle ligabis,
 10 vel pelagi latices, simul et Baccheia dona
 11 sumere curabis ; nimio sed parcito vino :
 12 Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
 13 hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

FURUNCULO MEDENDO

M_38 v.1 Cum sanguis nimius puri permixtus atroci
 2 aestuat et papulas alte sustollit acutas,
 3 resinam misces et saxis hordea fracta :
 4 conspersa haec tepidis apponere convenit undis.
 5 Vis et hyoscyamum cerae sevoque jugatum
 6 nectere ? Non minus haec poterit medicina juvare.
 7 Praeterea fimus, ex gallo quod legeris album,
 8 imbribus ex acidis fidens appone dolenti.
 9 Auribus aut pecudis molles expromito sordes,
 10 unguine quo fotis dabitur medicina papillis.

CARBONI MEDENDO

M_39 v.1 Horrendus magis est perimit qui corpora carbo :
 2 urit hic inclusus, vitalia rumpit apertus.
 3 Hunc veteres quondam variis pepulere medellis.
 4 Tertia namque Titi simul et centesima Livi
 5 charta docet, ferro talem candente dolorem
 6 exactum aut poto raporum semine pulsum ;
 7 infecti dicens vix septem posse diebus
 8 vitam produci : tanta est violentia morbi.
 9 Dulcacidum laticem cum lini semine junge
 10 atque fimum Paphiae pariter compone columbae :
 11 hinc line diruptas partes et clausa venena.
 12 Praeterea triti reserant et operta lupini.
 13 Nonnullus calcem vivam dissolvit aceto
 14 fumantemque nivem papulis apponit acerbis.
 15 Est qui gallinae perducatur stercore corpus.
 16 Alia vel piperi parce commixta linuntur.
 17 Pythagorae cognata levi condita cumino
 18 proderit aut madida fermentum polline turgens.

PANI, VOMICAE ET STRUMAE DEPELLENDIS

M_40 v.1 Sunt alii, quos dura movet natura, tumores
 2 non minus horrendi, sed non ita perniciosi,
 3 vomica qualis erit vel eidem proxima quaedam.
 4 Simplice resina miscebimus hordea tusa
 5 et mulsos amnes et purgamenta columbae :
 6 his bene decoctis languentia membra foveantur.
 7 Mollis odorato faba jungetur coriandro :
 8 proderit appositum mollitque aperitque tumorem.
 9 Aut de phasgano radix decocta palustri,
 10 quae salis admixto tundetur condimento ;
 11 proderit et mansum quod traxeris arbore viscum.
 12 Gramen hyoscyami cerae sevoque vetusto
 13 concilia mixtisque locos perduce dolentes.
 14 Exercere etiam corpus medicina potens est.
 15 Ovum defundes in fictile, deinde putamen
 16 marrubii suco implebis, post melle liquenti
 17 omnia consociata tepenti prospera potu
 18 sumuntur, reserantque malum purgantque levantque.

IGNI SACRO DIMOVENDO

M_41 v.1 Est etiam morbi species, quae dicitur "ignis",
 2 languida quod multo torrentur membra calore.
 3 Vel tu vicino sebum bovis igne remittes
 4 mollitumque lines vel oloris faecibus ova,
 5 sed non cocta, dabis : sic torrida membra fovebis.
 6 Lumbricus terrae mixto inducetur aceto
 7 aut parili nova ruta modo, (sed jungis olivum)
 8 ovaque cum betis prosunt super illita tritis.
 9 Alia dant cinerem sociato oleoque garoque,
 10 unguine quo gliscens deponet flamma furorem.
 11 Saepe chelidoniae pars candida jungitur ovi,
 12 quae modico potu, sed valde trita, capesses,
 13 admiscere memor lymphas amnemque Falerni.

PODAGRAE DEPELLENDAE

M_42 v.1 Quaedam sunt rabidae medicamina digna podagrae,
 2 cui ter tricenas species Epidaurius ipse
 3 dixit inesse deus ? Requiem tamen indere morbo
 4 fas erit et tristem saltem mulcere dolorem.
 5 Ergo age et abreptam salicis frondemque librumque
 6 cum vino tere, sic contractos perline nervos.
 7 Aut cum prima mali sese ostentabit origo,
 8 fervida non timidis tolera cauteria plantis
 9 seminecisve hirci reserato pectore calces
 10 insere : sic dirae reprimes primordia pestis.
 11 Aut si corruptus persederit altius humor,
 12 trita cupressus ibi Baccho jungetur acerbo,
 13 panibus et teneris, cohibebitque addita questus.
 14 Parva sabucus item, hircino collita sevo,
 15 triticeaeque acido manantes amne farinae,

16 aut nitido ranae decoctum viscus olivo
 17 sive chelidoniae sucus sale mixtus aceto.
 18 Sunt quibus apposita siccatur hirudine sanguis.
 19 Non audita mihi fas sit, sed lecta referre :
 20 hoc quidam rabidus morbo per tempora messis
 21 vicino plantas frumenti pressit acervo
 22 evasitque gravem casu medicante dolorem.

VULNERIBUS FERRO AUT VERBERIBUS FACTIS

M_43 v.1 Naturae vitiis medicas objecimus artes,
 2 nunc et fortunae jaculis obsistere par est.
 3 Si cui forte chalybs teneros violaverit artus,
 4 necte adipos vituli simul et tritam chamecisson
 5 nec pudeat luteae stercus perducere porcae.
 6 Sin autem saevo laceratum est verbere corpus,
 7 tum lixiva cinis ceras dissolvit et ova
 8 admixtoque oleo vibices comprimit atras.
 9 Si vero infrenus manat de vulnere sanguis,
 10 purpura torretur conchyli perlita fuco,
 11 hujus et atra cinis currentem detinet undam.
 12 Verrucae quoque desectae frenare cruorem
 13 dicitur ambustus Tyrio de vellere pulvis.
 14 Praeterea nimios reserati vulneris amnes
 15 feniculi cinis adstringit vel fimbria porri.
 16 Sive fimus manni cum testis uritur ovi
 17 et reprimit fluidos miro medicamine cursus.

VULNERIBUS QUIBUSCUMQUE CASIBUS FACTIS

M_44 v.1 Tam varia humanae sunt vulnera condicionis,
 2 ut nequeam proprias cunctis adscribere curas.
 3 Isdem igitur monitis casus sanabimus omnes,
 4 sic tamen ut nullus medicinam luserit error.
 5 Ergo, modus quicumque obtinget vulneris atri,
 6 contritus cum melle dabit medicamina bulbus
 7 herbaque quae nomen foliis de mille recepit,
 8 appositu prodest adipi permixta vetusto.
 9 Sucida cum tepido nectetur lana Lyaeo
 10 ambustaeve cinis complebit vulneris oras,
 11 concludet vero vel frons vel ramus ab ulmo.
 12 At sucis hederæ pulchrescit foeda cicatrix.

HOMINIS AUT SIMIAE MORSUI

M_45 v.1 Sive homo seu similis turpissima bestia nobis
 2 vulnera dente dedit, virus simul intulit atrum,
 3 vettonicam ex duro prodest absumere Baccho.
 4 Nec non et raphani cortex decocta medetur,
 5 si trita admorsis fuerit circumlita membris.

SERPENTIUM MORSIBUS ET VENENIS EXCLUDENDIS

M_46 v.1 Cuspide non quisquam, longae neque caede sarissae,

2 fulmine non gladii, volucris nec felle sagittae
 3 quam cito vipereo potis est affligier ictu.
 4 Quare aptam dicamus opem sucosque medentes.
 5 Quem nocuit serpens, fertur caput illius apte
 6 vulneribus jungi : sanat quae sauciat ipsa,
 7 ut Larissaea curatur Telephus hasta.
 8 Proderit et caulem cum vino haurire sabuci
 9 aut coctum raphani librum tritumque ligare
 10 sive etiam excelsa folium de mole cupressi.
 11 Aut tithymallus atrox vulnus contrita perunguit.
 12 Carduus est nondum doctis fullonibus aptus :
 13 ex illo radix tepido potatur in amni.
 14 Cervino ex fetu diluta coagula vino
 15 sumuntur, quae res membris agit atra venena
 16 aut ferulae radix potatur in imbre Lyaei
 17 Vettonicaeve leves, gallinae aut jura vetustae.
 18 Si vero horrendum vulnus fera jecerit aspis,
 19 urinam credunt propriam conducere potu :
 20 Varronis fuit ista senis sententia. Nec non,
 21 Plinius ut memorat, sumpti juvat imber aceti.
 22 Dicendum et quae sit praecox medicina timenti ;
 23 cautio namque potest diros praevertere morsus.
 24 Si jecur exsectum tardo de vulture portes,
 25 erucis aut si totos perduxeris artus,
 26 quas prius attritas vehementi adspargis aceto.
 27 Aut tu cervina per noctem in pelle quiesces
 28 aut genere ex ipso dentem gestabis amicum.
 29 Toxicia praeterea qua sint pellenda medella,
 30 expediam : sanguis poterit prodesse caninus,
 31 qui facili potu antidotus imitatur honestas.
 32 Vis et mirificos cautus praediscere odores,
 33 accensis quibus arcetur taeterrima serpens ?
 34 Aut styracem torres aut diri vulturis alam
 35 vel nepetam aut frondem rigidae stirpemque myricae.

ICTIBUS SCORPII ET MORSIBUS MURIS CAECI VEL ARANEI

M_47 v.1 Sunt minimae specie, sed dirae vulnere pestes,
 2 quae magis in tenui latitantes corpore fallunt,
 3 scorpius ut gravis est et araneus : haec mala semper
 4 captant securos multa jam nocte sopores.
 5 Et documenta dedit nobis prostratus Orion,
 6 magna quod exiguis perimantur saepe venenis.
 7 Quod si vulnus atrox incussit scorpius ardens,
 8 continuo capitur ; tunc digna caede revulsus
 9 vulneribusque aptus fertur revocare venenum.
 10 Aut calidis pelagi lymphis loca laesa foventur.
 11 Sive meri potu dissolvitur improba pestis.
 12 Ad cunctos autem morsus ictusque minorum
 13 caseus aptus erit pavidae de lacte capellae
 14 cumque hoc absumi debebit origanus herba :
 15 haec duo mirificis curabunt icta medelis.
 16 Nec non feniculo calidum adnectetur anethum
 17 aut vivum sulphur sicca cum faece Lyaei.
 18 Exiguo piperis cerebrum conspargito galli,
 19 quo lita sanescunt depulso membra dolore.
 20 Sin autem muris nocuit violentia caeci,

21 quae sola signavit volvendis orbita plaustris,
22 inline : mira datur vili de pulvere cura.

SUBITANEO DOLORI, FEBRI ATQUE OSTOCOPO

M_48 v.1 Nonnunquam existit subiti nova causa doloris,
2 cujus origo latet, certis reprimenda medelis.
3 Namque chelidonium mixto sale nectere prodest
4 velleraque infuso recalentia sulphure sanant.
5 Ostocopon lento conducit melle perungui.
6 Sin autem calidae depascent corpora febres,
7 tunc apii sucus leni sociatur olivo :
8 membra lines, fotuque ferus mulcebitur ignis.
9 Nec spernendus adeps, dederit quem bestia meles.
10 Seminecis cervi lacrimam immiscere liquori
11 convenit atque artus illinc mulcere calentes.
12 Sic lacerat morbum bilemque revolvit in alvum.
13 Praeterea chymum stomacho desiccatur iniquum,
14 quae magis atque magis promittunt corpora claudi.
15 Febribus at longis galli nova jura vetusti
16 subveniunt, tremulis etiam medicantia membris.

QUARTANAE TYPO MEDICANDO

M_49 v.1 Nec tu crede levem dilato tempore febrem,
2 quae spatium sibi dat, magis ut cessando calescat :
3 letali quoque grassatur quartana calore,
4 ni medicas adhibere manus discamus et herbas.
5 Alia non pudeat terno cum cimice trita
6 et diluta mero mediis haurire diebus ;
7 aut facilem jecoris murini ducere fibram,
8 quattuor ut duri jungantur scripula Bacchi.
9 Mira est absinthii cum simplice potio lymphae.
10 Sume tribus digitis apprensam semen anethi,
11 tantumdem marathri nec mulsum desit aceti,
12 in cujus cyatho praedicta salubriter hauris.
13 Maeoniae Iliados quartum suppone timenti,
14 aut leporis trepidi diluta coagula trade.
15 Prodest et potus, sed mulsum, Doridis humor.
16 Quidam etiam miranda ferunt, veniente calore
17 jurantes ludum Veneris munusque petendum.
18 Sed prius est oleo partus fervere ranae
19 in triviis illoque artus perducere suco.

TERTIANAE TYPO MEDICANDO

M_50 v.1 Est etiam alternis febris rediviva diebus,
2 tempora discernens quasi justae pondere librae.
3 Ut possis igitur talem prohibere furorem,
4 involves cera pallentis grana cumini
5 puniceaeque indes pelli colloque ligabis.
6 Pulegii ramus lanae velatus amictu
7 tempore suspecto medicos praebabit odores.
8 Praeterea tritus cimex sorbendus in ovo,
9 horridus attactu, sed gustu commodus apto.

QUOTIDIANAE TYPO MEDICANDO

M_51 v.1 At qui continuis non cessat adire diebus,
 2 sed tantum certas morbus discriminat horas,
 3 triticeum metuit granum, si credere dignum est,
 4 quod latitans fracto fuerit sub pane repertum.
 5 Nec non ossa juvant saeptis inventa domorum :
 6 convenit haec tereti pendentia subdere collo.
 7 Multaque praeterea verborum monstra silebo,
 8 nam febrem vario depelli carmine posse
 9 vana superstitio credit tremulaeque parentes.

HEMITRITAEIO DEPELENDO

M_52 v.1 Mortiferum magis est quod Graecis 'hemitritaeos'
 2 vulgatur verbis ; hoc nostra dicere lingua
 3 non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.
 4 Inscris chartae quod dicitur 'Abracadabra'
 5 saepius et subter repetis, sed detrahe summam
 6 et magis atque magis desint elementa figuris
 7 singula, quae semper rapies, et cetera figes,
 8 donec in angustum redigatur littera conum :
 9 his lino nexis collum redimire memento.
 10 Nonnulli memorant adipem prodesse leonis.
 11 Corallium vero si cocco nectere velis
 12 nec dubites illi virides miscere smaragdos,
 13 adsit baca teres niveo pretiosa colore :
 14 talia languenti conducent vincula collo
 15 letalesque abigent miranda potentia morbos.

FRACTURIS ET LUXIS SANANDIS

M_53 v.1 Infandum dictu cunctis procul absit amicis,
 2 sed fortuna potens omen convertat in hostes.
 3 Vis indigna novo si sparserit ossa fragore,
 4 conveniet cerebrum blandi canis addere fractis,
 5 lintea deinde superque inductas nectere lanas,
 6 saepius et sucos conspargere pinguis olivi :
 7 bis septem credunt coalescere cuncta diebus.
 8 Aut veteri Baccho caprae fimus inde petulcae :
 9 hoc aperit clausum, trahit haerens, sanat apertum.
 10 Si vero caput infestus colliserit ictus,
 11 ex oleo necti vestis debebit Arachnes :
 12 nesciet haec illinc, nisi cum sanarit, abire.
 13 Quod si luxa suo decedent membra tenore,
 14 urere femineos crines ac jungere sevim
 15 congruet ac tali medicamine mota ligare.
 16 Aut malvam ex pingui tritam apposuisse juvabit.
 17 Aut si conclusum servabit tibia vulnus,
 18 stercus ovis placidae junges adipisque vetustos,
 19 pandere quae poterunt ulcus patuloque mederi.

NERVIS INCISIS ET DOLENTIBUS, ATQUE CONTRACTIS

M_54 v.1 Haud quisquam credet disjectos vulnere nervos
 2 ad solitum rursus revocari posse vigorem ;
 3 sed prodest terrae lumbricos indere tritos,
 4 queis vetus et rancens sociari axungia debet.
 5 Si vero occultus nervos dolor urit inertes,
 6 vulturis excisos adipēs rutamque remittes
 7 aut ceram et tali recreabis languida fotu.
 8 Convenit et calidis pelagi perfundier undis.
 9 Carica vel betis lento cum melle jugatur
 10 aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupressi,
 11 quo poteris fotu recreare rigentia membra.
 12 Sin autem subito replicantur corpora morbo,
 13 contractos revocat nervos caro sumpta columbae.

AEGRIS SOMNO ADSCISCENDO

M_55 v.1 Non solum miseros taeterrima febris adurit,
 2 sed super optato pergit viduare sopore,
 3 ne prosint placidi caelestia munera somni.
 4 Charta igitur, variis quam pinxit littera verbis,
 5 uritur, inde cinis calido potatur in amni.
 6 Proderit et magnum capiti substernere fulcrum.
 7 Prodest et mixtam lymphis potare cupressum.
 8 Palladiis itidem sucis, quos flore rosarum
 9 jungis, et immisces madidum tritumque papaver :
 10 quo lita frons facilem praebebit nocte quietem.
 11 Nec non mandragorae gustu sopor additur altus.
 12 Dilue praeterea glomeramina, quae gerit intus
 13 clausa aries inter geminae coxendicis umbras :
 14 inde soporati ducentur gutture potus.

LETHARGIAE EXPELLENDAE

M_56 v.1 Diximus hanc sortem miseris mortalibus esse,
 2 ut sint saepe mamla inter se contraria morbi.
 3 Denique nonnumquam somno sic membra gravantur,
 4 ut jungatur leto sopor altus acerbo.
 5 Ergo levi flamma torrentur cornua caprae,
 6 quo nidore gravem dispellunt lumina somnum.
 7 Aut Veneris labrum quae dicitur herba bibetur,
 8 quae teritur prius et vino confusa liquescit.
 9 Conveniunt acidis euphorbia mixta fluentis,
 10 gramina vel rutae, gemina si nare trahantur.
 11 Quidam dira jubent ; septeno cimice trito
 12 ut vitientur aquae cyathusque bibatur earum :
 13 haec potiora putant quam dulci morte perire.

COMITIALI MORBO

M_57 v.1 Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est.
 2 quod fieri prohibet suffragia justa recusant.
 3 Saepe etenim membris atro languore caducis
 4 concilium populi labes horrenda diremit.

5 Ipse deus memorat dubiae per tempora lunae
 6 conceptum, talis quem saepe ruina profudit.
 7 Prodest cum veteri Baccho fel vulturis atri,
 8 sed coclear plenum gustu tibi sufficit uno.
 9 Aut cruor ex Progne mixtus cum polline turis ;
 10 aut apium elixum aut conditum melle fel agni ;
 11 marrubiumve pari confusum pondere mellis,
 12 cui tu terna dabis gustu coclearia in uno.
 13 Aptus mustelae cinis est et hirundinis una.
 14 Praeterea pluvias, hominis quas calva supino
 15 excepit projecta sinu, consumere prodest.
 16 Aut lapis ex nido, vaga quem congessit hirundo,
 17 vellitur, et nexu fovet attollitque jacentem.
 18 Pellitur, ut fama est, gustu quoque languor anethi.

REGIO MORBO PELLENDO

M_58 v.1 Regius est vero sublimi nomine morbus
 2 molliter hic quoniam celsa curatur in aula.
 3 Huic rubia ex mulsa fertur conducere lymphā.
 4 Alia trita dabis vino madefacta calenti.
 5 Vellera cum vivo suffiri sulphure prodest.

INFANTIBUS DENTIBUS VEL STRIGE INQUIETATIS

M_59 v.1 Nudum hominem primo mundi natura profudit ;
 2 insuper excruciat, niveis cum dentibus armat.
 3 Collo igitur molli dentes nectentur equini,
 4 qui primi fuerint pullo crescente caduci.
 5 Aut teneris cerebrum gingivis inline porci
 6 aut leporis niveumve hirtarum lacte caprino.
 7 Praeterea si forte premit strix atra pueros
 8 virosa inmulgens exsertis ubera labris,
 9 alia praecepit Titini sententia necti,
 10 qui veteri claras expressit more togatas.

COMBUSTURIS IGNE VEL FRIGORE

M_60 v.1 Sunt diversa quidem mala frigoris atque caloris,
 2 sed tamen amborum simili nocet ulcere virus :
 3 illa quoque usta putes quae sunt nive laesa rigente.
 4 Conversa in cinerem platani pila curat utrumque.
 5 At vero ambustum flammis, qui candidus ovi
 6 sucus inest, penna inductus sanare valebit.
 7 Aut tu sucosae cinerem perducito lanae ;
 8 aut vivam ex oleo veteri composito calcem ;
 9 hordea vel franges atque ovi candida junges,
 10 adsit adeps porcae (mira est haec forma medelae).
 11 Utere praeterea, pariter sevumque capellae
 12 junge, chelidoniis ac sic line vulnera sucis.
 13 Quodque rigens ussit glacies, axungia simplex
 14 mulcet et ex facili grata est medicamine cura.

VENENIS PROHIBENDIS

M_61 v.1 Ut tutus fias infestae fraude novercae
 2 vel quicumque tuo carpetur lividus auctu,
 3 non exspectatis eat obvia cura venenis.
 4 Ante cibos igitur juglandis fetus edatur.
 5 Produnt electri variantia pocula virus.
 6 Praeterea coctae querno cum cortice lymphae
 7 conveniunt potu demersave ficus olivo.
 8 Saepe etiam raphanum praedixit numen edendum.
 9 Antidotus vero multis Mithridatica fertur
 10 consociata modis ; sed Magnus scrinia regis
 11 cum raperet victor, vilem deprendit in illis
 12 synthesin et vulgata satis medicamina risit.
 13 Bis denum rutae folium, salis et breve granum
 14 juglandesque duas, tereti tot corpore ficus :
 15 haec oriente die parco conspersa Lyaeo
 16 sumebat, metuens dederat quae pocula mater.

VENENIS DATIS

M_62 v.1 Si nequit infandum praevertere cautio virus,
 2 proximus ille gradus data pocula pellere cura.
 3 Lacte asinae placidaeque bovis prodesse loquuntur.
 4 Vettonicam ex parco sumunt plerique Lyaeo.
 5 Quod si hederæ sucum, quae truncos implicat altos
 6 instilles pateris, poterunt haud ulla nocere
 7 pocula, quae quisquam saevis vitiaverit herbis.
 8 Si quis hyoscyamum gustarit, lacte capellae
 9 exhausto subitō poterit mulcere furores.

VULNERIBUS EX RE DUBIA CURANDIS

M_63 v.1 Vulnere tabescunt spatio vitiata dierum,
 2 curaque nil prodest nec ducitur ulla cicatrix.
 3 Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,
 4 ulceris annosi sinus ut coalescere possit,
 5 marrubium si tu recoquas illoque liquore
 6 vulnus atrox foveas, cineres vel harundinis altae
 7 inducas leporisve adspersa coagula vino
 8 aut hederam Baccho decoctam aut semen anethi
 9 aut cineres alni tardo cum melle ligentur.
 10 Lumbrici terrae poterunt conducere vulnus
 11 aut facilis lapathi coma latior ulcera purgat,
 12 et commixtus adeps, sed nonnullo sale tactus.
 13 Pineae praeterea vivo cum sulphure cortex
 14 et pice cum spissa jam perdita membra reponit.

VERRUCIS TOLLENDIS

M_64 v.1 Interdum existit turpi verruca papilla :
 2 hinc quondam Fabio verum cognomen adhaesit,
 3 qui solus patriae "cunctando" restituit rem.
 4 Id poterit vitium sanguis curare lacertae,
 5 aut urina canis cum terra inducta madenti,

6 aut herbae sucus quae fertur nomine lathyr ;
7 est tithymallus item tali satis apta medelae.
8 Si rupta inmensos fundit verruca cruores,
9 purpureo triti cineres de vellere prosunt,
10 quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum.

HAEMORRHOIDIBUS MEDENDIS

M_65 v.1 Excruciant turpes anum si forte papillae,
2 agrestis prodest radix superaddita porri,
3 ni violet, sanat juglandis fragmine clausa.
4 Sal niveum sumes, Beticum quod nomine dicunt,
5 dulcia cumque nigra junges fuligine mella
6 apponesque super : pellit medicina dolorem.
